

experimento didicerunt, stellas omnes non semper esse coniunctas, aut disiunctas eadem distantia, cum interdum iungerentur, interdum dissociarentur, ut luce clarius singulis mensibus in Sole, ac Luna experimur: propterea quod in Noui lunij coniuncti sunt inuicem hi duo planetæ, in Plenilunij autē inter se oppositi per diametrum. Qua ex re perspicue collegerit diuersos motus in aëtris. Nam si unico duntaxat motu ucherentur, in eadem semper distantia, & propinquitate cernerentur. Hinc plures cælos esse coacti sunt affirmare, saltē tot, quot motus diuersos in stellis deprehenderunt, quandoquidem stellæ non per se, sed una cum orbe, in quo sunt infixæ, ceu nodus in tabula, circumferuntur. Quoniam uero diuturna obseruatione cognouerunt, magnum numerum stellarum, quales sunt omnes illæ, quas fixas uocamus, uniformiter semper progredi eadem distantia, & eodem situ, atque ordine: Exempli gratia, duæ postremæ stellæ plauisti, quod in urša maiore est, cum stellâ polari, quæ est in extremitate caudæ uršæ minoris, & ea stella, quæ in sinistro pede Cephei existit, constituunt semper lineam rectam: Pari ratione stella illa lucida, quæ est in lance Libræ occidentali, & Arctophylax, seu Arcturus, & ultima stella caudæ uršæ maioris, in recta etiam quasi linea sunt positæ semper: Item Canis maior, canis minor, & stella illa plauisti, quæ propinquior est polo arctico, secundum quoque rectam lineam sunt collocatæ: Item sinister pes Orionis, canis minor, & cauda leonis efficiunt semper quasi lineam rectam: Idē obseruatum est in oculo Tauri, humero sinistro Orionis, & cane maiore; Item in tribus stellis, quæ constituunt cingulum Orionis: Rursus in pede sinistro Orionis, oculo Tauri, & lucida in capite Medusæ. Similiter spica uirginis, Arctophylax, & cauda leonis constituunt fere triangulum Isoscelem, cuius basim efficiunt Arctophylax, & cauda leonis: Item cor Leonis, canis minor, & lucida stella Geminorum orientalius constituunt triangulum Isoscelem, cuius basis efficitur à cane minore, & stella illa Geminorum: Idem denique in quam plurimis alijs stellis est obseruatum; De qua re lege Ptolemæum Dictione 7. & Epitomen Ioan. Regiomontani in eadem Dictione, ubi complures obseruationes huiusmodi in medium adducuntur; Idcirco omnes illas in unico duntaxat orbe cælesti collocari affirmarunt, quæ omnes Firmamentum appellarunt, ut supra est dictum, ad cuius motum æquali semper remotione, situ ac distantia inter sese circumducerentur. Obseruarunt rursus, inter omnia sidera, septem esse stellas, quas erraticas dixere, quæ nec inter se eandem seruabant distantiam, nec in eodem situ cum stellis fixis reperiebantur, concluderunt eas nō posse existere in Firmamento, in quo sunt stellæ fixæ; sic enim eandem distantiam semper cum ipsis haberent, quemadmodum & ipsæ inter se; sed nec omnes septē simul in aliquo alio cælo esse repositas: hac enim ratione eandē inter sese seruarent distantiam, ac situm, quamuis cum stellis fixis ordinem continue uariarent. Quamobrem firmissimo argumento collegerunt, sub Firmamento esse septem alios orbes collocandos, quos Septem orbes septem planetarum, seu stellarum errantium nuncuparunt. Et quoniam præter hos octo motus omnino inter se distinctos, & diuersos stellarum nullum alium cognouerunt, octonario cælorum numero contenti fuerunt, puraruntque octauam spheram, id est, Firmamentum continens stellas fixas esse primum mobile.

CÆTERVM post hos extiterunt alij Astronomi, inter quos fuit Aristarchus, & Timocharis, qui anno ante Christi Natiuitatem CCC. XXX. uel circiter floruerunt, & Alexandria siderum cursus obseruantes deprehende-

Sententia
eorum, qui
nouem cæ-
los ponunt.

ruat,